

08.12

SPRAWOZDANIA SZKOLNE  
Książnica  
Kopernikafiska  
w Toruniu  
SCHULPROGRAMME

# INDEX LECTIONUM

IN

## LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBURGENSESI

PER AESTATEM

A DIE XXV APRILIS ANNI MDCCCLXX

LYCEI REGIO HOSIANI H. T. RECTOR

INSTITUENDARUM.

D. ANDR. THIEL

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS

PRAECEDIT DR. FRID. MICHELIS DE PHILOSOPHO PLATONIS DIALOGO DESIDERATO.

---

BRUNSBURGAE,

TYPIS HEYNEANIS.

1870



INDEX LECTONUM

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

**D<sup>R.</sup> ANDR. THIEL,**

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

KSIĄŻNICA MIEJSKA  
IM. KOPERNIKA  
W TORUNIU

~~Stadtbibliothek  
Thorn~~

AB 1472

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS  
**R E C T O R E T S E N A T U S**  
CIVIBUS SUIS

S.

**D**e Philosopho dialogo, quem scripturus Plato non scripsit, quamquam eis, quae in libro de universa Platonis philosophia edito disserui, nihil detrahendum vix aliquid addendum habui, tamen circumspicis quae post librum illum editum studia platonica tulerunt, commentatiuncula hac ex necessitate profecta ita me disputaturum esse spero, ut eis certe qui historiae partes in philosophia recte aestimant sententiam meam luculentius commendem. Nunc enim, quod praeter ceteros Ueberwegii et Erdmannii libri de historia philosophiae denuo nuper editi docent, res nullius fit, quam et in Platonicae et in universae philosophiae progressu probe aestimando summi momenti esse tam mihi persuasum est, quam quod maxime.

Ac primum quidem id jam pro certissimo habeamus ei qui Sophistam et Politicum scripsit, — quem Platonem fuisse contra eorum, qui hos dialogos recens a Platone abjudicaverunt, sententiam parum herele viris doctis comprobata equidem eo majore cum jure teneo, quod ex ipso Philosopho dialogo omisso recte aestimato demum difficultates, quae athetheseos occasionem praebuerunt, vere solvuntur — in animo fuisse tertium dialogum eumque gravissimi momenti, quem Philosophi nomine insigniret, duobus illis addere. In initio enim Sophistae Socrates hospiti Eleatico argumentum disputationis sophistae politici philosophi notiones proponit, ita circumscripta quaestione, tria haec nomina utrum unum tantum genus significant, an duo, an, quod nomina distincta indicent, tria. Hanc sententiam hospes propositum disputationis argumentum suscepturus arripit, in aperto esse id quidem contendens, tria tribus illis nominibus genera distingui, difficillimum autem esse, quibus rebus singula differant accuratius examinare. (Soph. p. 217 A. B.) A sophista deinde si hospitem disputationem inchoantem facit scriptor philosophum in ultima sede reponentem, tacite indicat jam tunc ei philosophum explicatu difficillimum visum fuisse, et ne hoc quidem sine consilio factum esse contenderim, quod duo genera tribus illis nominibus designari posse expresse ponitur, id quod ad eventum respondet, quum Sophistam et Politicum Plato scripsit, tertium Philosophum retinuit. Revera autem in omni disputatione de uno philosopho agi satis indicant Socratis verba, quibus argumentum disputationis proponendum praeit Soph. 216 D. *καὶ τότε μὲν πολιτικοὶ φαντάζονται, τότε δὲ σοφισταί, τότε δ' ἔστιν οἷς δόξαν παράσχονται ἄν ὡς παντάπασιν ἔχοντες μανικῶς.* Eos enim qui furore acti videntur, veros philosophos designari, de quibus Socrates proxime dixerat, planum est. — Bis deinde et insigni loco Plato in Sophista Philosophi scribendi mentionem facit. Ubi enim in Sophista eo disputatio reducta est, ut ipsius

sophistae definitionem ex philosopho pendere eluceat, in eodem quodammodo loco cum sophista philosophum versari dicit, quod quidem et nunc jam appareat, quum obiter rem tangit, et postea clarius demonstratum iri, quum de industria in philosophum inquisituri sint. p. 253, E. Idem paulo infra apertius etiam indicat, non quidem dissimulans jam tum aliquo modo sibi dubium esse, num propositum illud foret executurus. p. 254, B. Postremo in initio Politici diserte indicat, se tunc quidem consilium post Politicum Philosophum scribendi nondum abjecisse; in ipso autem Politico nulla amplius Philosophi scribendi mentio injicitur, quo fit ut consilium post Sophistam et Politicum peculiari dialogo de philosopho disputandi in animo scriptoris paulatim quasi marcescere videamus minimeque miremur, ipsum Philosophum in lucem non prodiisse. His igitur luculentissimis scriptoris testimoniis id jam extra dubium positum habeamus, Platoni, dum Sophistam et Politicum scribit, singulari dialogo de summis philosophiae principiis veritatisque constituendae ultimis rationibus disputare in animo fuisse; hoc enim argumentum Philosophi et ipso dialogi titulo et expressis verbis a Platone indicari, quum ejus quod esset (*τοῦ ὄντος*) notionem philosopho vindicaret, ut sophistam ad id quod non esset relegarat (p. 254 B.) contra Devssenium moneo novissimum Sophistae interpretem, qui in argumento Philosophi designando non minus ipsius Platonis verba dissimulare debebat, quam in ejus scribendi consilio<sup>1)</sup>. Constat porro, consilio philosophi scribendi nondum satisfecisse Platonem eis, quae in ipso Sophista de entis notione disseruit; difficultatem autem rei jam tum cum ita persensisse, ut facile conjicias, nullam aliam fere causam consilium deserendi fuisse, quam quod imparem se cognovit, qui propositum ita quidem exequeretur.

Hoc loco priusquam progrediar duo habeo quae moneam. Unum, ne ita nodum solvi posse arbitreris, ut Philosophum a Platone scriptum quidem esse sed aetatem non tulisse statuas. Nam extitisse unquam dialogum Platonis qui Philosophi nomine esset insignitus, nullum prorsus habemus indicium levitatisque aliquomodo accusandus est Steinhartus (in proem. ad Sophistae interpretationem p. 472) quod licet dubitans fieri potuisse concedit, ut dialogus Platonis tanti momenti interierit, nullo prorsus sui vestigio relicto. Alterum, ne te fugiat, non semel sed bis Platoni idem accidisse, ut consilium propositum deseruerit. In prooemio enim ad omnem philosophiae Platonicae ad maturitatem provectae quidem rationem perspiciendam gravissimo, quo Timaeum praeivit, libris de Republica absolutis dialogorum trilogiam simili modo annexurus ac Theaeteto Sophistam Politicum Philosophum adjungere in animo habebat, ita rem disposuit, ut inter tres personas argumentum distribueret, Timaeum de rerum natura, Critiam de mythica generis humani aetate, Hermocratem de historiae veritate disputaturos faciens. Tim. p. 20, A.<sup>2)</sup> Quorum dialogorum Timaeum absolutum habemus, Critiam inchoatum; de Hermogene ne vestigium quidem ullum unquam apparuit, cujus post Critiam scribendi consilium Platonem, quum Critiam inchoaret, adhuc tenuisse aperte in Critiae prooemio indicatur p. 108, A. Haec autem quae de Hermocrate omisso observavimus gravissima sunt ad Philosophum desideratum justius aestimandum. Nam si bis idem Platoni accidit, ut in gravissimorum dialogorum serie nectenda, quos quidem conatus argumento esse patet, cum non in singulis dialogis occasione oblata spargendis acquisivisse, sed ad philosophiae continuitatem quandam exponendam adspirasse, promisso non steterit, nisi summae levitatis notam inurere tibi velis, judicare non poteris hanc rem ab universae Platonis philosophiae studiorumque ratione esse alienam. In quo crimine Devssenium esse video, qui si merito laudandus est in eo, quod rem ab aliis fere neglectam tetigit saltem, non tam levia fundere debebat, ut Platonem vel ea conglutinare potuisse diceret, quorum revera nullus esset nexus et in Sophistae Politici Philosophi argumentorum vinculo aestimando eo seduci sese pateretur, quod ad vulgi ea confundentis opinionem

<sup>1)</sup> Conf. Commentatio de Platonis Sophista p. 7. Quid ei respondemus, qui in tanta certorum de rebus Platonis testium inopia speruit ipsa certissima?

<sup>2)</sup> De eis, quae Hermocrates disputaturus erat, non tam clare constare, quam de Philosophi argumento, Devssenio concedo, plane non constare nego. Sed est alienum ab hoc loco accuratius rem tractare.

Soeratem provocantem faceret Plato. Accedit ut nullo modo possit concedi, duas tam graves consilii turbationes nisi longo temporis spatio interjecto scriptori accidere non potuisse, quo fit, ut quum alteram, quae post Rempublicam absolutam facta est, in extremam aetatem Platonis cadere constet, priorem multo ante accidisse statuamus necesse sit.

Jam ut ad Philosophum desideratum revertamur, fieri quidem non potuit ut res tam in aperto posita philosophiae Platonicae interpretes praeteriret, omnesque fere, qui quidem ad formam quandam sententiarum platoniarum continuitatem redigere conati sunt, judicium de Philosopho tulerunt haud ita alienum a vero, scopum autem non feriebant, sententiarum ni fallor, quae apud Platonem nobis offeruntur ubertate decepti, ad fontem autem, ex quo ille hauserit, et ad intimum sententiarum vinculum parum attendentes. Omnes enim in eo fere consentiunt, ut et dialecticorum dialogorum circulum ad primam aetatem Platonis sui quidem in philosophia juris facti referant, et Philosophum ita ab eo omissum esse arbitrentur, ut in eis quae sequuntur dialogis revivisceret, aut in uno aliquo, quod cum Stallbaumio Zellerus fecit de Parmenide cogitans sed parum in sententia sua firmatus<sup>1)</sup>, aut in pluribus, ut adstipulante Brandisio Schleiermacherus censebat, qui in Symposio et Phaedone omissi philosophi imaginem quandam sub Soeratis persona depictam esse voluit, aut in omnibus, quae Susemihli sententia est ad extremum usque Platonem consilium philosophi scribendi tenuisse arbitrantis. Quae sententiae, ut universae in eo non sunt a veritate alienae, quod in gravissimorum dialogorum argumentis philosophum suppressum sese exseruisse ponant, sic singulae singulos fere veritatis locos attigerunt. Qui enim Parmenidem Philosophi omissi partes suscepisse putant, probe aestimaverunt partes, quas jam in Theaeteto Plato in jaciendis philosophiae fundamentis Eleatarum principi tribuebat (Theat. p. 180 E. et 183 E.). Qui Soeratis imaginem in Symposio et Phaedone propositam locum illum obtinuisse arbitrantur, vera vestigia secuti sunt, quum id quidem certissimum sit, nullius alius imaginem quam Soeratis Platonis animo obversatam esse, quum Philosophum scripturus erat. Verissime denique eos judicare, qui Philosophum omissum in tota gravissimorum dialogorum serie, qua summa philosophiae Platonicae continetur, sese exseruisse censent, vel ex scopo elucet, quem Plato in Sophista Philosopho designavit, ut negatione superata ad ipsum verae cognitionis argumentum accederet. Quodsi Susemihlius recte judicat, quum Politicum inchoaret, Platonem consilium philosophi scribendi usque tenuisse, in eo tamen fallitur, quod vel post Rempublicam absolutam eum in hoc proposito perstitisse putat, cujus rei ne minimum quidem indicium est. Sententiam ei, quam Susemihlius sequitur, e diametro contrariam neque tamen ipsam ab omni parte a veritate alienam Hertelius proposuit (in commentatione de Platoni Politico), qui eam ob causam potissimum Platonem consilium post Politicum Philosophum scribendi abjecisse putat, quod eis, quae in ipso Sophista de Philosophi argumento transeundo tractantur, postea sibi jam satisfacisse visus sit; in quo tamen id certe praeterire ille non debebat, invito hoc et contra primum consilium Platoni accidisse. Postremo C. F. Hermanni sententiam silentio praetermittere religio est, qui quum Philosopho sententiam de scientia tertio loco in Theaeteto propositam, quam ille ipsius Platonis esse putabat, accuratius exponendam assignaret, in eo quidem sine dubio falsus est, veritati autem et ipse haud leve testimonium reddens, quum et ad ipsum Theaetetum quodammodo Philosophum relegandum esse persentiret, et in eo intimam Platonis philosophiam apertum iri.

Quas virorum doctorum sententias si contuleris, non te fugiet, vergere eas in eam sententiam, quam equidem proposui, quum in Philosopho ita universae philosophiae Platonicae quasi nodum quandam me invenisse mihi viderer, ut et si in lucem prodiiisset, ejus perfectam formam intueremur, et quum non apparuit, causam teneamus, qua, cur in eam qua indutam conspicimus formam sese induxerit, penitus intelligamus. Jam vero quum in eo esset res, in discrimen adducta est eorum criticorum opera, qui Ueberwegio praeeunte nuper totum dialecticorum dialogorum circulum a Platone abjudicaverunt, unum

<sup>1)</sup> Nuperrime Koestlinus hanc sententiam argumenta quidem nulla afferens suscepit. Gesch. 1. Gr. Philos. 145.

Theaetetum et ne illum quidem prorsus intentatum relinquentes, quem e sede, quam in prima aetate Platonis viriliter philosophantis occupabat, movere conarentur. Quo fit, ut sive cum illis Sophistam et Politicum a Platone abjudicas sive hos dialogos suprema aetate simul cum Theaeteto ab eo scriptos esse concedas, quaestionis de Philosopho desiderato momentum cadat. Etenim quum ita quidem reputatis eis quae de Hermogene disputavimus sententiam admittere cogamur, bis idem in suprema aetate Platoni accidisse, ut consilio gravissimo non steterit, rem ad senescentis philosophi imbecillitatem potius quam ad aliud quidquam referri facile judicabis. Totum igitur Philosophi omissi momentum eo redigitur, ut et Theaetetum priorem sedem merito tenere et trilogiam, quae a Sophista inchoatur, ab ipso Platone et quidem non multo post ei additam esse persuasum habeamus.

Ita enim fieri potuit, ut ex ipso turbato Platonis in his dialogis scribendis consilio medicinam petamus, cujus opera difficultatibus quibus dialogi illi, Sophista imprimis et Politicus premuntur, vere demum mederi valeamus. Etenim quantacunque est audacia novitiorum illorum criticorum, qui dialecticae platonicae acumen tam parvi faciunt, ut vel ob rerum tractatarum futilitatem dialogos illos a Platone abjudicandos putant et omnium summorum virorum auctoritatem conculcantes et Platonem in poetarum potius quam in philosophorum numerum redigentes, eorum tamen minime sententia probanda est, qui difficultates, quibus dialogi illi premuntur, aut negligunt aut alia via vere eis mederi posse sibi videntur.

Theaetetum igitur illud tempus attingere, quo Plato Megaris apud Euclidem morabatur et trilogiam, cujus Sophista chorum ducit, ei tam penitus esse conjunctam, ut nisi invito scriptore ea sejungere non possis, quod fere communis est et veterum et recentium interpretum sententia, id repressis quae in eam nuper fiebant impugnationibus hodie de novo confirmatum esse ita equidem paucis demonstrabo, ut eis, quae ab aliis jam observata sunt, nova addam nonnulla. Ad Theaetetum igitur quod attinet, animadvertas quaeso praeter totum dialogi colorem, qui a latiori ac effuso dicendi genere quod jam in Republica Plato prae se fert, mirifice abhorret et certe in priore parte fere juvenilem quendam vigorem sapit, — nam posteriorem Theaeteti partem aliquantum jam vergere ad aridum et sterile dicendi genus, quod in Sophista et Politico nos offendit, haud facile negabis — prooemium, quo ad Euclidem Megarensis delegamur, eo majus habere momentum, quod exceptis Legibus, cujus dialogi, quum Socrates non in scenam producat, alia est ratio, Theaetetus est unus omnium dialogorum Platoniorum, quo ab Athenis sevocamur, quod quidem sine insigni aliqua occasione factum esse concedi non potest. Quod autem vaticinio Socratico in Theaeteto jam tunc expleto ad proveciorem Theaeteti aetatem nos delegari contendunt, id speciosius quam verius esse excogitatum in opem vocata mathematica ejus, qua floruisse dicitur laude, ea quae Plato refert accuratius considerata facile evincunt. Nam neque, Theaetetus quum cum Socrate conferens *μειράκιον* dicitur, puerilem aetatem nondum excessisse putandus est, quod ne per res quidem tractatas licet, neque Euclides quum post sex aut octo ab illo tempore elapsos annos Theaetetum, qui in pugna quoque fortem sese praestiterat, secundum Socratis vaticinium clarum virum evasurum videri praedicat, aliquid dicit, quod a re sit alienum. Accedit quod nuperrime Wohlrabius observavit, ut si Theaetetus post annum CCCLXVIII a. Ch. n. quod cum Munkio Ueberwegius vult, scriptus sit, Plato amplius XXX annos Therpsionem, qui sermonem Socratis secum communicandum Euclidem rogaturus erat, cunctantem finxerit, quod sane est nimium. — Trilogiae autem, quam Sophista praebet, cum Theaeteto necessitudo declaratur et luculentissimis scriptoris et verbis et institutis, quod accuratius exponere non est opus, et disputationis argumento, quod Theaeteto ita aptum est, ut nisi vi adhibita ea non possis separare, et indicia quaedam leviora sat multa, quae ni fallor attento lectori persuadebunt, Sophistam eodem cum Theaeteto partu esse editum. Pertinet huc descriptio eorum, qui sunt *ὄντως φιλόσοφοι, καθορῶντες ὑποθεῖν τὸν τῶν κάτω βίον* 216, C. quae mirifice attingunt ea, quae in Theaet. p. 173, C. de veris philosophis dicuntur. Deinde Parmenidis saepe injecta mentio (p. 217, C. 231, A.) commonefaciens rationis, qua in Theaetetum Parmenides inducitur. Attendas porro quaeso haud absque consilio factum esse, ut hospes cum Theaeteto jam sermones habuisse fingatur (p. 318, A.).

Adde Theaeteti juvenis ingenium moresque in Sophista optime servata. Denique Socrates junior, quem ut Theaetetum facie sic nomine Socratem referentem fecit scriptor, quamquam hoc *φορτικῶς* quodammodo fictum esse vix negabis, attamen prodit sensum ejus, qui invite Socratis in colloquendo partes Eleatae cederet, quod idem elucet ex sophistae tanquam elenchici notione, quam quidem dubitans scriptor ponit, haud dissimulans ad Socratem potius quam ad sophistam haec quadrare. (p. 235, A.) Haec omnia, quibus alia forte addere poteris, optime sese habent, si Plato ita ut modo ex philosopho omisso intelligemus animo affectus Sophistam Theaeteto adjunxit; aliam nullam habent interpretationem, quam quidem prudenter arripias.

Itaque si constat et Theaeteto dialogo Platonem suam ipsius philosophandi viam ac rationem quodammodo initiasse<sup>1)</sup> et Sophistam ab ipso Platone et quidem non longo temporis spatio intermisso esse conjunctum, quid de philosopho omisso statuendum quodque ei momentum tribuendum sit, in dubio non relinquitur.

Ut rem satis jam agitatam paucis conficiam et, quomodo mea sententia a ceteris differat, accuratissime exprimam, id quod Plato conciliatis inter se Parmenidis Heraclitique sententiis tanquam verae cognitionis unicum fundamentum universaeque philosophiae scopum quaerebat, nihil aliud est quam Ens vere absolutum, quod in ipsa sua existentia et essentiae et motus, quo nomine vita cogitatio, ut uno verbo dicam, ea quae personam constituunt, significantur, principium continet; cui quidem mentis humana desiderio una Dei veri vivique notio satisfacit. Hanc veram eandemque vere philosophicam Dei cognitionem, quae quidem divinitus ei nondum esset communicata, quum humanitus assequi non valeret, id evenit, quod evenisse historiae documenta demonstrant, ut Platonis philosophia mentis humanae ad plenam veritatis cognitionem adspirantis neque tamen suis ipsius viribus eam assequi valentis praeclarissimum exemplar praeberet, cujus rei Philosophus desideratus insigne argumentum est.

Haec sententia una est, quae et ipsius Platonis verbis et universae philosophiae ejus temporumque rationi vere satisfaciat. Ceterae, quae dialecticae Platonicae summum finem extra rerum finitarum ambitum positum dissimulantes eventum ejus ad merae ratiocinationis causam delegant, non tantum plurima et gravissima et manifestissima praetereunt, sed etiam luculentissima Platonis verba misere ad sui erroris modum detorquent. Ut plane res absolveretur, opus erat ad ea, quae Plato cum alias tum in Sophista de negatione disputavit, propius accedere, quod quum modo alia occasione oblata facturus sim, nunc praetermitto. Sed vel sic rem in aperto positam paucis satis declaraturum me esse spero. Nam quum in Theaeteto ea quidem in clariore luce ponens, quae in fine Cratyli primum indicaverat, Parmenidis Heraclitique sententias contrarias conciliandas sibi sumeret, id eo animo se facere diserte et plane aperuit, ut nisi hac conciliatione facta de cognitionis humanae veritate actum esse intelligeret. (Conf. Theaet. 183, E.) Ipsa autem illa controversia eo res adducta erat, ut nisi Ente absoluto elatoque supra extremos, quos mens humana fingere valet, fines cognito contraria illa principia non potuerint conciliari. Etenim altera ex parte de uno ente summo, altera non quidem de *γένεσει* sed de *κινήσει*, scilicet non de rerum finitarum generatione sed de motu tanquam principio generationis agebatur et quod ex hoc ratiocinationis gradu, nisi omnis vera quidem cognitio casura erat, philosophiae problema emergebat, ut unum summum ens, quod idem motus principium contineret, cogitatione strueretur, id ipsum est quod in disputatione de ente ad fastigium perducta diserte et plane Plato et assequendum esse et sese assequi non posse profitetur. Quid igitur ipsum Herbartium assecutum esse dicam, qui in noto illo: „divide Heracliti *Γένεσιν Οὐσίᾳ* Parmenidis, habebis ideas Platonis“, aperte *γένεσιν* cum *κινήσει* turbavit. Verum enim vero propius illo nemo recentiorum ad veritatem accessit eumque ut Struempelius correxerit tantum abest, ut invitissis Platonis ideis Aristotelis praedicata obruderit. Qui

<sup>1)</sup> Non me fugit ad sententiam supra positam prorsus confirmandum opus fuisse, ut et Phaedro illum locum, quem ego Theaeteto assigno, immerito tribui et Theaeteti argumentum non psychologicum sed metaphysicum esse contra communem fere sententiam evincerem. Sed licet ad ea provocare, quae alias ad hunc locum disserui.

fieri possit, ut Ribbingium laudem meruisse concedam, qui τῷ παντελῶς ὄντι, quo diserte exprimitur absoluti, quod philosophi dicunt, notio, quum mere negative tanquam id in quo non insit γένεσις definiat<sup>1)</sup>, rerum universitatem (τά ὄντια) supponat. Quomodo non Bonitzium considerati philologi partes deseruisse judicem, qui in ipsa illa enuntiatione, ex qua tota lis pendet, ut saltem ex sua quidem mente sensum e verbis eliciat, membrum alienum Platoni affigere non erubescit?<sup>2)</sup> Quod credo non laudasset nuperrime Devssenius, si mea respicere tanti fecisset. Qui fiat, ut satis accurate rem persecutos esse concedam eos, qui disputationis in Sophista ad fastigium eductae finem non vident in eo elucere, ut ipsae essentiae motusque notiones conciliatae in unum summum ens redigantur et, quum in tres notiones abeat disputatio motu et statu in essentia colligatis, id contra scopum accidere (250. B. Τρίτον ἄρα τι παρὰ ταῦτα τό ὄν ἐν τῇ ψύχῃ τιθεῖς ὡς ἔπ' ἐκείνου τὴν τὴν σιάσιν καὶ τὴν κίνησιν περιεχομένην e. q. s.)<sup>3)</sup>.

Ne autem putes Dei vivi verique cognitionem in summo dialecticae ratiocinationis scopo invito me Platoni obtrudere, in memoriam revoco praeclarissima verba, quibus sub finem Sophistae Dei creatoris contra materialistas partes agit (265 C. D.); quae quidem eo majoris sunt momenti, quo minus a disputationis dialecticae serie posebantur. Quin in Politico diserte, licet, quod optime ad sententiam meam quadrat, non absque omni dubitatione commemoratur, uni Deo summo, qui mundo motum praebet, id convenire, ut se ipsum moveat eodemque semper modo (269. E. αὐτο δὲ ἑαυτὸ στρέφειν ἔχθρον οὐδενὶ δύναιτον πλὴν τῷ τῶν κινουμένων αὐ πάντων ἡγουμένῳ). Quae verba si a summo dialecticae inquisitionis consilio in Sophista sese exserente aliena esse putaveris, vereor ne qua hodie homines fere laborant animorum in summis rebus distractione eam ad Platonem immerito transferas.

Quodsi ita res se habet, ut Plato, quum propriis primum vestigiis insistens Theaetetum scriberet, finem prae oculis haberet, cui ita quidem postea meditando rem aggrediens imparem esse cognosceret assequendo, omnia in tam clara luce ponuntur, ut ne minimum quidem obscuritatis in tota re relinquatur. Quid enim miremur, quod Plato illam summi Entis expositionem dialecticam, quam in Theaeteto rei difficultatem jam tum sentiens tanquam unicum verae cognitionis fundamentum moliebatur, quaeque ipsius Philosophi, quem in Sophista demum inductum videmus, argumentum erat, ita quidem praestando impar propositum non deseruit, sed strenue utut poterat rem aggressus est? In quo moneo non eam esse meam sententiam, ut Platoni, quum Theaetetum inchoabat, jam tum alterum dialogum, qui Philosophi argumentum tractaret, scribere in animo fuisse contendam, sed ut in ipso Theaeteto post priorem ejus partem hoc consilium nasci videamus. Scilicet Sophista sese philosopho obtrudit, ubi negationis vis atque natura declaranda menti sese objecit, et quae de ea in Sophista disputantur penitiori modo repetunt atque redintegrant disputationem de erroris possibilitate in alteram Theaeteti partem sese intrudentem ejusque ordinem turbantem, quod quidem indicium est, turbati primi conatus proprii a Platone in philosophia facti. Ita demum optime declaratur et Sophista Philosopho sese obtrudens et Philosophus nihilominus ipsi Sophistae tanquam robur sese inserens, quum negationem absque affirmatione, id quod non esse dicimus, sejunctum ab eo, quod est, ne percipi quidem posse menti eluceret. Negationis autem vis atque natura quum prorsus ex Infiniti vera cognitione ejusque a finitis discretionem pendeat, eadem est utriusque loci ratio; scopum feriebat philosophus, nisi telum deficeret. Cetera omnia plana, quae alias aut nullam aut molestissimam habent explicationem. Quod enim Sophista parum considerate Theaeteto affigitur, quum scriptor oblitus esse videatur, Theaetetum

<sup>1)</sup> Conf. Ribbing: Genetische Darstellung der platonischen Ideenlehre. I, 150.

<sup>2)</sup> Bonitz: Platonische Studien II. contra quem conferas quae disputavi in libro, cui titulus: Plato mordens. p. 35.

<sup>3)</sup> In hoc loco, ni fallor, lapsus est Carolus Uphues, praeter Devssenium recentissimus Sophistae interpres (Die philosophischen Untersuchungen der platonischen Dialoge Sophistes und Parmenides), quem miror, quum alia multa satis acute perspexerit, de Philosopho desiderato sententiam suam dissimulasse.



ex scripto Euclidis recitari, id quidem, ut res se habet, molestissimum est; certo aptiorem explicationem non habet, quam ut hoc cum tot aliis, quae in Sophista et Politico offendunt, turbato scriptoris animo tribuas, qui rerum tractatarum difficultate oppressus ad formam eliminandam parum attenderet. Quodsi fieri non posse contendis, ut opus non satis limatum a Platone profectum sit, si ita ab eo in lucem editum esse putas, concedo; potuit autem apud se retinere aut cum amicis solis communicare, quod quidem, ut alia praetermittam, haud dubie in Critiae fragmento accidit. Quam distinctionem inter dialogos, quibus manus extrema non accessit, et eos, quos eliminatos in lucem edidit Plato, si admiseris, gravissimarum difficultatum nodum solveris. — Socrates hospiti Eleatico, qui Parmenidis formam quandam remotiorem refert, verbum cedens insigni est argumento sententiae meae, quod quidem non sponte a Platone esse institutum indicium supra allatis satis declaratur. Platonem autem, quum Sophistam scriberet, ita animo affectum fuisse, ut rei difficultate oppressus aegre ad finem aliquem parum hercle ipse satisfacientem rem perduxerit, id ita ex ipsius scriptoris disertis verbis elucet (Soph. 258, E. 259, B.), ut ego satis mirari non possim interpretes, qui hoc non vident aut, si viderunt, tam parvi aestimant. Scilicet artificis nescio quibus stili platonici alii expensa ferunt ea, quae aliis tam immania videbantur, ut certissima ex eis indicia peterent, a Platone non esse hos dialogos profectos, veluti nuperrime Devssenius in eo acquievit, ut quae turbata sunt in sophistae definitionibus enumerandis ad putidam sane imitationem vitiorum ab Eleatis nescio quibus commissorum. Quae quis non videt e scholarum lucubrationibus, non autem ex ingenio philosophi ingenue strenueque ad veritatis fastigium enitentis profecta esse. Aliquanto graviora sunt, quae ex sermonis usu a Platónico ut videbatur saepe alieno ei, qui Sophistam et Politicum a Platone abjudicandos putant, congesserunt. Sed hanc controversiae partem Albertius ita confecit, ut vix aliquid addendum videatur.

Unum reliquum est ad Philosophi desiderati momentum plane perspicendum recteque aestimandum, ut ipsius controversiae, quae dialecticae platonicae fons fuit, pondus examinemus. In quo et cum ceteris fere omnibus mihi genuinum Platonis sensum tuenti res est, qui ad orationis humanae cum philosophia nexum aut prorsus non attendunt aut unum sequuntur Aristotelem, et imprimis cum Prantelio, qui, quem mirum censeo esse in homine acutissimo errorem, non ex rationis orationisque lege secundum veterum mentem earum quidem inter se conjunctissimarum, sed ex abjecta vitae civilis degeneratione forensique Graecorum aemulatione dialecticam illam controversiam repetivit. Sed hac disputatione nunc supersedeo, quoniam intime connexa est eum negationis natura plane perspicenda, quem locum modo peculiariter me tracturum esse supra monui. Hoc nunc jam, ut aliquo modo tibi constet, effecisse mihi videor, agi in quaestione de Philosopho desiderato de summi numinis cognitione vere philosopha; agi de quaestione, num ea Dei veri vivique cognitio, quae unice rationi humanae possit satisfacere, aut sola ratiocinatione, quae philosophi est, possit attingi aut ea de causa debeat sperni a philosophis, quod non nisi divinitus revelata ea non fruimur. Etenim equidem aliud nihil tantopere eis, qui hodie philosophiae laude florent, et Philosophi desiderati momenti non recte aestimati et totius philosophiae Platonicae parum perspectae in causa esse arbitror, quam quod christianae doctrinae unice veram vereque philosopham vim sententiamque dissimulant. Cujus rei, ut ad meos redeam conatus, insigne mihi praebuit documentum Ribbingius, Platonis interpres Upsalensis, qui invitum me cum Steinharto turbans, uti prius Bonitzius cum Susemihlio, ea sola re meam sententiam ab illo differre putat, quod equidem non ad Schellingii sed ad christianam doctrinam platonicos in philosophia conatus referam, qua quidem ad notum illud ignorantiae asylum delegari nos putat, quod Hegeli dialectica contrariorum altero alterum tollente sibi philosophi paraverint<sup>1)</sup>. Scilicet philosophorum magna pars in doctrina christiana tam rudes se gerunt, ut quod Tertullianus de christianorum persecutoribus suae aetatis dicit, in eos cadere tuo jure contendas: „Hic tantum curiositas humana tepescit. Amant ignorare,

<sup>1)</sup> Ribbing: die genetische Darstellung. I, p. 215.

cum alii gaudeant cognovisse. Adeo quod nesciunt, praejudicant id esse, quod si sciant, odisse non poterant." Apolog. cap. 1. Quam ob rem optime ego quidem Albertium conjecisse concedo, qui parum me contentum fore suspicatus est loco, quem inter philosophiae platonicae interpretes mihi assignaverit Ribbingius, qui quidem viam a me demonstratam ipse ingressus in ea juste aestimanda parciosem sese gesserit!).

1) Jahrbücher der klassischen Philologie 1866. p. 316.

# LECTIONES.

## A. ORDINIS THEOLOGORUM.

### Dr. Theol. Andr. Menzel, P. P. O. h. t. Decanus.

- I. Apologeticen tradere perget diebus Lunae et Mercurii h. II, Saturni h. X.
- II. De ss. Sacramentis et de rebus post mortem futuris disseret diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris h. X.

### Dr. Theol. Andr. Thiel, P. P. O. h. t. Rector.

- I. Historiam ecclesiasticam aevi recentioris tradere perget diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris et Saturni h. IX.
- II. De conciliorum generalium historia et constitutis disseret diebus Martis et Veneris h. VI.
- III. Repetitiones et exercitationes de historia ecclesiastica instituet die Mercurii h. IX.

### Dr. Theol. Franc. Dittrich, P. P. E.

- I. Antiquitates ecclesiasticas tradere perget diebus Martis, Mercurii, Veneris h. XI.
- II. Repetitorium et disputatorium de rebus ad theologiam moralem spectantibus instituet die Saturni h. XI.
- III. Historiam literariam scriptorum ecclesiasticorum enarrabit diebus Lunae et Jovis h. XI.

### Lic. Theol. Hugo Weiss.

- I. Prophetas minores interpretabitur ter per hebdomadem h. VIII.
- II. S. Pauli ad Hebraeos epistolam explicabit ter per hebdomadem h. VIII.

## B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

### Dr. Laur. Feldt, P. P. O. h. t. Decanus.

- I. Historiam geometriae inde ab antiquo aevo usque ad nostra tempora adumbrabit diebus Martis et Veneris h. XI.
- II. De chronologia et de calendario Juliano et Gregoriano disseret diebus Lunae et Jovis h. XI.
- III. Geographiam mathematicam, physicam et atmosphaerologicam tradet et de globis igneis et stellis transvolantibus disseret diebus Lunae et Jovis h. II et die Mercurii h. XI.

### Dr. Jos. Bender, P. P. O.

- I. Historiam medii aevi inde a Carolorum exitu tradet ter per hebdomadem h. VIII.
- II. De Germanorum antiquitatibus maxime de rebus mythologicis disseret ter per hebdomadem h. VIII.
- III. Literarum in Prussia cultarum historiam exponet semel per hebdomadem h. VIII.
- IV. De primordiis historiae Graecorum et Romanorum critice disputabit semel per hebdomadem hora definienda.

### Dr. Frid. Michelis, P. P. O. Des.

- I. Psychologiam docebit quater per hebdomadem h. X.
- II. Metaphysicam tradet bis per hebdomadem h. X.
- III. Terminorum in philosophia usitatorum historiam explicabit bis per hebdomadem horis definiendis.
- IV. Familias vegetabilium difficiliore demonstrandas offert.

### Dr. Wilhelm. Weissbrodt, P. P. E. Des.

- I. Exercitationes latine disputandi bis in hebdomadem instituet.
- II. Aeschyli Agamemnonem ter,
- III. Fastos Ovidii item ter enarrabit.

## Publica doctrinae subsidia.

Bibliotheca, cui praeest **Prof. Dr. Thiel**, commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris h. II—III.  
Instrumenta, quae ad physicam, mathematicam et astronomiam pertinent, custodit **Prof. Dr. Feldt**.

CERTAMEN LITTERARIUM ET PRAEMIA.

**Renuntiatio iudiciorum de certamine litterario a commilitonibus Lycei Regii  
Hosiani anno superiore inito et quaestionum in currentem  
annum propositarum promulgatio.**

**Ordo Theologorum** pro certamine litterario has quaestiones proposuerat:

I. Ex instituto Regio: „Accurata tertii qui dicitur libri Esrae collatio cum textu parallelo in scripturis canonicis obvio instituatur indeque ea proponantur, quae ad illustrandam tum illius libri auctoritatem, tum criticam biblicae V. T. textus historiam in universum pertinent.“

II. Ex stipendio Scheill-Bussiano: „Historia Ebbonis archiepiscopi Rhemensis ex ipsis fontibus describatur.“

Priorem quaestionem nemo commilitonum pertractavit. De altera opusculum redditum est his verbis in scriptum: „*Veritatem sequi et colere, tueri justitiam, aequè omnibus bene velle ac facere, nil extimescere*“.

Auctor libelli pro re sua non satis accurate fontes protulit passimque minus nitido argumentationis et sermonis genere usus est; satisfecit tamen generatim propositae quaestioni et singulas ejus partes laudabili diligentia acquisivit et contexit. Quare Ordo Theologorum illum constituto praemio dignum iudicavit.

Reclusa schedula prodiit nomen:

Antonius Nowowieski, stud. theol.

**Ordo Philosophorum** hanc quaestionem proposuerat:

„Eruatur s. Augustini vera sententia de temporum in rerum creatione, quae sex dierum opificio continetur, successione.“

Una commentatio Baconis verbis: „Deum non esse non credit, nisi cui Deum non esse expedit“, insignita Ordini oblata est. Cujus scriptor, quamquam ut brevi concinnoque et disputandi et dicendi generi magis studeat imprimis monendus est, non tantum magnam diligentiam in s. Augustini sententiis exponendis contendendisque praestitit, sed etiam summam rei juste fere expedit. Quapropter Ordo eum, qui praemio coronaretur, dignum censuit. Aperta schedula nomen prodiit:

Petrus Harnau, stud. theol.

In sequentem annum commilitonibus Lycei Regii Hosiani quaestiones proponuntur hae:

**Ab Ordine Theologorum.**

- I. Ex instituto Regio: „Patrum apostolicorum de Ecclesia doctrina proponatur.“
- II. Ex stipendio Scheill-Bussiano: „De Gersonio catecheta.“

**Ab Ordine Philosophorum.**

Ex instituto Regio: „Sophoclis de officiis sententia explanetur ita, ut de virorum doctorum commentationibus Sophoclis iudicium fiat.“

Certantium commentationes sermone latino scriptae et more consueto signatae ante d. XV. Januarii a. MDCCCLXXI Rectori Lycei tradendae sunt. Praemia victoribus constituta XXV Impp.

Promulgatum in solemnibus Regis Serenissimi Guilelmi I. nataliciis die XXII. Martii anni MDCCCLXX.

**Ordo Theologorum pro certamine**

I. Ex instituto Regio: „Auctoritatem canonice obvio instituta indicat et proponenda, quae ad illustrandum tam libris hanc auctoritatem, tum criticam biblici V. T. textus historiam in universum pertinet.“

II. Ex stipendio Scheill-Bussiano: „Historia Episcopi archiepiscopi Bismensis ex ipsa fontibus describatur.“

Priorem quaestionem novo commentatione tractabit. De altera quaestionem reddendum est his verbis inscriptum: „Veritas non est color, nec forma, nec odor, nec gustus, nec tactus, nec sonus, nec visus.“

Auctor libelli pro re sua non satis accurate fontem protulit passimque minus recte annotationibus et sermone genere usus est; satisque tamen generatim quaestiones et deinde quae partes laudabili diligentia conparavit et confertur. (ante Ordo Philosophorum hinc commentatione dignum iudicavit.)

Reclama scheda prohiit nomen:

Antonina Nawoiwicka, stud. theol.

**Ordo Philosophorum hanc quaestionem proponunt:**

„Erator a Augustini ten sententia de temperato in omni creatura, quae sex. dicitur opificio continetur, succedere.“

Una commentatio Rationis veritas: „Deum non esse non veritas nisi in Deum non esse expellit.“ inscripta Ordini oblata est. Cuius scriptor, quantum ad hanc quaestionem et deinde et deinde generi magis student imprimis monenda est non tantum usum huiusmodi in a. Augustini sententia exponenda contentendisque praestitit, sed etiam usum huiusmodi in a. Augustini sententia cum sui praemio coronatur, dignum censuit. Aperta scheda prohiit nomen prohiit:

Petrus Hartmann, stud. theol.